

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538889

Caput IV. Diagnosin & Prognosin tradit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

rent, sed successive decidunt: reliquæ item & fordes ciborum diu dentibus infixæ permanent, sive sensim putrefactæ acrimoniam acquirendo dentium substantiam e medio quasi consumunt ad radices usque, inde gingivæ eo facilius protuberant ac excrescunt, ceu superius cap. 2. annotavi: idem sentit M. Ettmüller. Lipsiens. quondam Prof. P. Famigeratis. in Op. in fol. edit. p. 1. c. Pr. c. 3. p. m. 110. § 112.

C A P U T I V.

Diagnosin & Prognosin tradit.

§. I.

Diagnosis parulidis in facili est, potest enim ad gingivas ortus tumor nec oculum inspicientem, nec tangentem manum fugere, itaque nihil fere amplius de hoc addendum est, quod etiam de epulide tantum non locum habet; excrescentia enim in gingivis perruptis circa molares obvia est, adeoque per se malum hoc visui patet, seque ipsum manifestat: quo tamen certior cognoscatur, ipsa ejus substantia quoque consideranda est; est autem durior & magis nigricans parulidis, quam simplex gingivarum intumescentia esse solet, nec vulgaribus remediis cedit, aut sua recedit sponte, sed subsistit & pus agit subtus, ni tempestive occurratur quibus signis à modo commemorato simplici gingivarum tumore facile dignoscitur.

§. I I.

Hæc de parulide sufficient: epulidis autem, ut jam innuimus, nihilo difficilior est cognitio, neque enim minus ac parulis incurrit in oculos, & à luxuriantibus gingivis discernitur, quod extra earum superficiem prominet, aut etiam ex ipso carioso dente propullare observatur, quod quamvis Auctores Græci à nobis allati non monuerint, recentiores tamen observarunt: substantia ejus non vere carnosa est, nec glandulosa, sed qualiter alias natura non agnoscit in corpore: laxa sordida & flaccidens, cruentum, si paulatim attingatur, de se fundens, nonnunquam putredine diffluens, aliquando ejus est expers: saepè febris conjungitur cum dolore vehementi internarum mandibularum, ut neque os ægro aperire licet, censente præcipue Ægineta lib. 3. c. 26. Actio tetr. 2. serm. 4. c. 25. D. Semirerto in Prax. lib. 2. p. 1. c. 16. M. Sebiz. Sp. M. Pr. p. 2. f. 4. c. 9. Schmitzio in Comp. M. Pr. p. 439. Cujus rei ratio est, quod inflam-



Dammatio, tumor & malignus humor in gingivis non se contineat, sed vicina etiam insidieat, ac presertim musculos Masseterem aut biventrem à processu Mastoide in mentum abeuntem, quorum ille claudit, hic aperit os, maxillam movendo; notum enim musculum-inflammatum aut quo-cumque modo lœsum propter dolorem consequentem moveri non posse. Si materia copiose affluens cum M. S. plus justo calidior sit & acrior, gingivas magis rubore, & calore, dolorem inde atque extensionem car-nis gingivarum cum ejusdem sub sequente relaxatione provenire, malum indies augeri & vehementius affligere, sin sanguis sit frigidior, ruborem, calorem & dolorem esse remissiorem, autumat prælaudatus *D. Sennert.*
I. d. Plura diagnosin horum affectuum illustrantia e cap. primo peti possunt.

§. III.

De cætero, uti hæc caro non ejusdem generis, ita & epulides variae in-dolis sunt; aliquando indolentes, sanguinem vero nunc magis nunc mi-nus fundunt, masticationem tamen impediunt. *Nobilis quidam Matrona tales excrescentie in utraque maxilla inter interstitia caninorum & molarium luxuriabant, firmiores fungis, ex cavitate dentium emergentibus, quæ iterato attatu ferramento ignito sine magno dolore emarcuerunt, nec renate sunt jam ab aliquot annis:* ita *Wepferus*: aliquando acria non fuerunt, sed candenti cedunt ferro, qualis erat, cuius in seq. historia idem meminit: *nobilis Matrona Juvencilla in maxilla inferiore tamē carnem eodem in lobo sc. ubi dens sapientia in adultis quandoque erumpere solet, obtinuit, faba magnitudine, masticationem impedientem, basin habebat latiorem, ut abscissioni fidere non ausus fuerim, itaque primum lapide infernali attigi una alteraque vice: verum dolorem excitavit, itaque ferro candente globulo in extremitate predicto, brevibus intervallis adiussi, unde emurciuit, & citra aliud remedium evanuit.*

§. IV.

Prognosis, uti ex ipso diagnosticorum signorum fonte scaturit, ita quo-que omnes hinc sententiae ferendæ rivuli profluunt, nunc quidem tristio-ris fati, nunc mororis indices, prout causarum impetus urget. Et de parulide quidem paucis res expediri potest, sufficiat enim *Aëtii verbo-rum* denuo meminisse, esse scil. inflammationem, quæ ubi non dissolvitur, suppurratur, quod ipsum tamen de parulide nostra proprie dicta & stric-tius magis intelligendum venit; *Aëtii* verbis lucem afferunt *Sennertiana lib. 2. p. 1. c. 16.* ubi inflammations has, nisi statim reprimantur, in apostemata abire, docet, quæ nunc citius, nunc tardius rumpuntur, pro tumoris magnitudine & humoris natura: quod & ante ipsum monue-rat *M. P. de Largelata chirurg.* *I. d.* scribens: ista apostemata aliquando

R r 2

cito



cito curantur, aliquando tarde; pergit autem *Sennertus*: non contemnendum esse malum, ni enim mature succurras, in aposternata & ulcerata diuturna, nonnunquam & in fistulam degenerare; saepe & in cancrum incurabilem; aut gangrenam abire. Quod idem etiam me admonet laude dignus *Wepferus* quem Musa vetat mori, his verbis: *nobilis Matrona odontalgiam diu passa est: supervenit abscessus in maxilla superiore, ejus aperitionem neglexit, unde ossis majoris portio corrupta fuit. Et quamvis sponte ruptus fuisset, manxit tamen dolor Et tumor male Et labii superioris piumque haris: indito stylo asperum os longe lateque inveniō, incidi aliquo usque fistulam forjice, unde multum puris fætidi emanavit, ampliusque os cariosum in conspectum venit.* Ex ejusmodi autem fistula nonnunquam tota humorum crasis vitiari, malumque aliis etiam & insontibus partibus affricari potest, quod sequente celeberrimi *Wepferi* observatione ostenditur: *gingivæ non solummodo intumescent ac inflammantur, sed etiam suppurantur, unde oritur caries, quæ labes prope quotidie illis evenit, in quibus apertio abscessus differtur: consumto enim perioœœ maxillæ, corrosio ossis vix evitatur: Puella 13. annorum plethorica, odontalgiam in maxilla inferioris parte postica passa est: oborto abscessu in gingiva tardius puri exitus parabatur, unde maxilla longe lateque erosa fuit, à Din. Casp. Müller Frauenfeldensi chirurgo peritissimo, plura frustula ossis cariosi exenta fuerunt: ob plures fistulas foris continuo pus stillantes Et gene tumorem inter buccam Et maxillam, incisionem fecit, osque vacuallus unciis duabus longius Et crassissimum carie exesum extraxit, in cuius parte extrema comparuit maxilla hujus dextra processus posterior, qui cum osse sphenoideo articulatur: gena multum detinuit, ac os rursus aperit, quod autem vix poterat: carie debellata, fistula foris Et intus semper plurimum ichoris fuscidentes exaruerunt, simulque alia in parte dextra pectoris prope cartilaginem ensiformem consolidabatur, que tamdiu manavit, quamdiu fistula maxillæ fluebant: per quas vias pus sibi hucusque cuniculos fecerit, non certo confitit, quia nullibi in partibus intermediis doluit, nec ullum aliud indicium apparuit. Ad plenam curatiolum demum intra biennium pervenit, quia diu in principio negligebatur. Puellam hanc vidit ipse vir celeberr. d. 12. O. Z. 1671. Frauenfelde. Gena dextra paulo tumidior sinistra apparuit, os operire Et maxillam mouere valuit; inferior tamen maxilla magis retrorsum tracta videbatur, quia incisores maxille superioris manifeste ultra inferiores prominuerant: quando submissæ loquebatur, os non distorquebat, quando vero ridebat aut contentius loquebatur, statim dexterrsum os trahebatur; solummodo in sinistro latere masticare potuit, quæ tamen mala saepe præcaveri possunt, si idoneis præsidii in tempore ipsis propiciatur, quod accidisse memini & ipsem observavi in virginis Heidelbergensis maxillæ inferioris dextra parte, ubi post dolorem molarium, tumor in gingivis cum inflammatione & suppuratione oriebatur, qui non intus, sed exterius circa genæ finem aperiebatur, multumque stillabat sanguinem, sed feliciter mundificabatur, ac dein consolida-*



lidabatur; ut hodie vix levissima cicatricula aocurate intuenti ocurrat
(sunt autem anni circiter 7.) ac tantum absit ut faciem deturpet, quia
formam potius augeat: ex neglecta vero non haec solum, verum etiam
ipsa epulis consequi potest, agnoscente id *Sennerto in princ. c. cit. Foreſto*
in ſchol & Jonſtōno in idea med. &c. aliis.

§. V.

Et his tandem contentus, Parulide relicta, ad Epulidem ipsam me con-
verte. Licet autem Epulidem per se non facile lethalem exitimem, pro
varia tamen impetuosi affluxus ratione, ingens ſepe periculum etiam haec
minitatur, eti malum, recens si adhuc fuerit, & ab humoribus non ni-
mia copia hu affluentibus oriatur, faciliorem admittat curationem, ac
ſi fecus habeat. Quodſi autem diuturna fuerit *ἐπγλὺς*, & altiores egerit
radices, metuendum aliquando erit, ne in grandiorē tandem affurgat
molem, ita ut quandoque ægro os rite aperire neutiquam concedat, &
mandendi facultatem adimat, prout ſuperius allati Auctores ſufficienti teſ-
timonio ſunt; quale exemplum quoque habet *Pareus l. 7. c. 4.* ubi ad ovi
magnitudinem fere excrevit. *Placentinus Chir. l. I. c. 20. P. Sorbait p. I. c. 32.*
Ulterius quoque procedente negotio, vitiari magis gingivæ, exculcerari
profundius vel corrumpi etiam, & ad gangrenam diſponi affolent: fidem
nobis facit *M. Ettmüller. Oper ſuor. p. I. C. Pr. c. 3.* His merito ſubnec-
to historias Epulidum malignarum, tractatarum a peritissimis Medicis &
Chirurgis, quas quidem iterum Illustris *Weſferus* mihi impertivit, quæ,
ſi ullæ aliae, præ ceteris merentur notari ſuntque publico minime invi-
dendæ: pace ergo Viri Candidissimi prodeant: (1) Nobilis matrona,
carnosa, 36. ann. Catarrhis ad gingivas & adjacens palatum obnoxia
fuit a juventute: confuevit adultior hebdomadatim pilulis cephalicis ad
purgandum corpus uti, quas toto anno 1686. neglexit. Circa finem anni
defluxionem ad genam dextram paſſa eft, ob duritatem genæ, curatu diffici-
liorem: Mense Jun. 1687. duritatem dolorofam in eadem gena percepit. Mense
Oct. pustula pruriens ſublivida oborta eft in palato, & in gingiva fun-
gofitas ex alveolo dentis maxillæ ſuperioris excrevit. Pustulam Ægra diu
noctuque irritavit: fungo ipſamet mederi ſtuduit 1. Gargarifmate emol-
liente domellico: 2. illinitio olei ſpicæ & petræ, unde affluxus promo-
vebatur: 3. decocto caricarum pinguium per integrum mensem ſumpto:
4. Lactatione infantis poſt puerperium, proxime antecedens. Circa finem
octobr. *Medicus & Chirurgus* peritissimus vocatus, invenit Excrecentiam
fungofam cavitatem oris prope obturare, cum vocis depravatione, reſ-
pirandi difficultate, deglutionis quaſi abolitione: ſalivatione copioſiore,
fætore intolerabili, genæ dextræ inflammatione dolorofa & dura, contor-
ſione labiorum moleſta, ſuffocatione imminentे. Præmitis univerſalibus,
præſentibus Medicis, & Chirurgis affiſtentibus, cultello ad hanc opera-

R r 3 tio-



tionem accommodo excidit carnes superfluas sine dolore intensiore, & absque sanguinis profluvio copioiore, cum nullus ligaturæ locus esset: radices residuas iterato ferro candente, metu recidivæ cancerose inussit d.

24. Nov. Excrecentia ad aspectum non aucta videbatur, verum ægra sensit sub eschara aliquid crassius fieri, atque hac ipsa die & nocte fævos dolores paſſa est: gena quoque tumidior & atrorubescens evasit: rubor quoque in gena sinistra apparuit: Postea adhibitis purgantibus, derivantibus, sanguinem edulcorantibus, detergentibus & adstringentibus gargarismis non potuit inhiberi nova carnis hujus luxuries, nec iterata sectione & ustione radicis exstirpari: sub finem Dec. 1687. superveniente gangræna & sphacelo ad fedes beatiores translata fuit. (II). Vir Nobilis, annorum 45. gracilis, a pueritia valetudinarius, temperanter vivens, vitæ sedentariæ addictus, multum in legendô & scribendo occupatus, a longo tempore Odontalgia obnoxius, salivator, saliva acri & salsa existente, alvi tardioris, odontalgia in Autumno 1688. permolesta afflictus fuit, ob dentem cariosum in maxilla inferiore sinistra: noluit tamen ejus extractionem admittere, quia subinde remisit. Cum vero 1689. odontalgia cum dolore & tumore in gena sinistra invaleceret D 21. oct. dentem in medio maxillæ inferioris evicendum curavit. In dente extracto conspiciebatur ejus radix cariosa: manserunt alveolus cum fætore cavus, & tumor ac durities in gena. Paulo post ex alveolo prodit caro luxurians, grumo sanguinis similis, quam æger ipsem extrusit, relicta cavitate in gingiva cum inflammatione, unde usus est opera Chirurgi in prædio aliquot milliaribus a patria urbe distante: cum nihil proficeret, domum profectus, ibique medicorum & chirurgorum præstantissimorum consilio & ope usus est. Die 31. oct. chirurgus, senior in arte versatissimus, alveolum ex quo dens erutus fuit, profundum quidem reperit & fætentem, carnemque luxuriantem inde pullulantem, nullam tamen carium tangere potuit: Stylus ab ichore denigrabatur, quod pro malo omni habuit: cavitatem filis contortis implevit, gena erat tumida & scirrhosa. Die 1. Nov. cavitas dilatata fuit spongia compressa: hinc deprehensus fuit sinus profunditate articuli digiti & caries ossis conspecta: continuata dilatatione, deprehendit os cariosum esse portionem alveoli. Die 5. Nov. alius dens vacillans extractus fuit sequente hæmorrhagia. Die 8. Nov. secessit squammula ossæ, unde ichor ex cavitate emanans minus fætuit: labia cavitatis contrahebantur. Die 12. Nov. caro luxurians in bucca aq. Stettinensi parata ex adstringentibus, $\text{X} \sim$ ato & O tacta, unde minuebatur. Die 20. Nov. repertum rursus fuit os nudum. Die 23. Nov. ferro candente mediante cannula inurebatur cavitas. Die 25. Nov. caries ob carnem luxuriantem reperiri nequit: cavitate dilatata rursus ferro candente inulta fuit. Die 27. die 28. Nov. squammula ossæ secessit, ut & 5. Dec. cavitas erat munda, sed absque incarnatione, & 9. Dec. pulchra apparebat, verum ab attactu facile sanguinem fundebat, nec caro

ex



ex fundo renascebatur. Die 10. Dec. ejus aspectus incarnationem pollicebatur, d. 11. 12 & 13. Dec. Gena crassior fiebat, & quando masticabat in illa punctionem sentiebat, d. 16. Dec. rubebat sine dolore: postea magis magisque intumuit cum rubore, d. 24. Dec. instar ignis rubebat: tensionem sentiebat æger, & os distorquebatur, 29. Dec. gena detumuit aliquantum, in regione tamen cariei aliquid calloſi tangebatur. A principio Ann. 1690 ad 27. Mart. quo cum aliis per literas consultus fui in deterius usque omnia vergebant, nam ad 27. Mart. unus dens post alium vel excidit, vel extractus ad mentum usque fuit; genæ rubor evanuit usque ad spunctulum, ubi pus inclusum putabatur, manente tumore & duricie. Non potuit dissolvi, nec Empl. guminosis nec cataplasmatis nec fucculis; ab Empl. ialis os intus exulceratum fuit, promota salivatione per 14. dies durante: punctum rubrum in gena exulceratum parum puris fudit; ulcus exiguum in cavum oris penetrans vicina depavit, & in amplum degeneravit, ejus labia erant nigra, putrida, summe fætentia, indolentia, in bucca tuberculis plenum. Juxta hoc ulcus duo alia supervenerunt, ex quorum uno sanguis grumosus, putridus, ex altero pus crassum coctum prodiit. Hæc tandem in unum coaluerunt, quod nullum pus suppeditavit, conspicue serpens, summe fætens, corruptione & putrefactione crescente: jam tum pene tota gena consumpta erat, totum mentum intus cavum & putridum ad partem dextram reddebat: foris rubrum & stupidum fuit, sub lingua tumor scirrhosus erat, qui post exulcerationem evanuit: glandulae salivales in latere affecto penitus corrosæ erant: Ductus sub lingua in regione raninârum ex osculis loco salivæ fundebant sanguinem ichorosum, salivavit multum, imprimis post applicacionem Empl. ialis fætebat & acris erat materia; cessante salivatione fragmenta ossium separabantur, & ossa carne obducebantur. Aliquando ingens copia sanguinis ex cavitate gingivæ emanavit, ut mirum visum fuerit, unde tanta provenerit, & quomodo ex yasis tam exilibus profundi potuerit: alias nunc a sponte, nunc levi attactu sanguinem fudit: Præter dolores consuetos, si aliquid dentibus tenere conabatur, fævam punctionem in occipite passus est: videbatur culter eousque adigi: inde dolor ad dorsum descendit. Aliquando spasmus os torquentem passus est, qui remediis ablatus fuit. Febriles insultus nunc 3. nunc 4. nunc 6. die, aliquando d. 8. expertus est: frustranea erant evacuantia, revellentia, derivantia, M. S. edulcorantia, aliterve corrigentia, topica, putredini resistentia, carnem luxuriantem consumentia, cariosum auferentia, mundificantia, emollientia, sarcotica, affluxum inhibentia: bilit etiam lac asinum, caprinum, serum & jusecula, herbis etiam antiscorbuticis alterata, item lac chalybeatum: nihil præstitum fuit lapide infernali, medicamentofo Crollii, igne candente. Ex his agnovi cancrum immedicabilem: suæ curam palliativam, & ad labia ulcerum foris unguentum Diapomphol. Fabr. Hildan. c. 6. obs. 22. quo feminas duas cancer faciei affectas diu confer-
vavi.



vavi, d. 15. Jun. 1690. mortuus est, viribus sensim exhaustis. (III.) Mercator quidam 45. annorum temperamenti admodum humidi, aliquan- diu sensit stuporem labii inferioris dextri, postea in hoc loco punctionem secundum ejus longitudinem : tandem correptus fuit odontalgia, seque- batur carnea excrescentia ex cavo dentis cariosi in maxilla inferiore dex- tra : aucta, ægro molesta evasit, ligatura filo ferico feliciter ablata fuit: animadversum non solum hunc, sed & alium dentem cariosum esse, am- bosque vacillare & levicule alveolis inhærere, unde facile, & prope sine dolore evulsi fuerunt: prodiit caro magis considerabilis quam prima, gingivam ibi foris & intus occupans, aliquotque dentes molares tegens, prope unius unciae altitudine: suadebatur etiam hujus carnis ablatio, quæ ob mollitiem solis digitis perfici poterat. Ne recrudesceret, & ut cariei præsuppositæ occurreretur, aliquoties ferro ignito inurebatur; ve- rum nihilominus caro renascebatur, non ibi, ubi adulta fuerat, verum magis e fundo & in latere; sublata denuo carne duobus digitis ab arti- culo, os maxillæ inferioris cariosum ad fundum & per medium fissum fuit repertum: facta foris incisione frustum latitudine unciae extractum fuit, ægrotus nunquam liber à febi & semper catarrhosus, & pes dex- ter edematosus fuit: hæc ad me scriebantur 26. Nov. 1689. Ad finem Dec. res fere in eodem statu mansit, frustulum cariosum dimidiæ unciae latitudine ablatum fuit, & extrema ossis maxillæ urebantur: extirpata quoque fuerunt carnes tum fungosæ: tum glandulosæ: harum proven- tus adeo magnus, ut eradicari nequierint: una extirpata, duæ suc- creverunt tum circa gingivam, tum circa labia. Ablatis his carnibus, quasi fulcris destituta maxilla, pendula & quaquaversum mobilis eva- sit, unde instrumento ex ferri lamina concocto & sub mento applicato illam in sua sede continere oportuit: colluvies jugis & copiosa im- pedivit ossis cariosi separationem; plus tamen negotii facebant glan- dulæ & carnes veluti cartilaginosæ: incertum videbatur, an omnes e mala provenerint? Constitit tamen tandem, a mala ejusque parte musculosa & ab ipsa articulatione mandibulæ succrescere: Multis interne & externe ma- gna industria adhibitis, a Viris doctissimis caveri nequit, quin affectus post aliquot septimanas ipsi lethalis fuerit: quando vitam finierit & quæ interea evenerint, nondum refcivi. IV. Trifius fatum subiit Juvenis Rheino- viensis faber lignarius, robustus, amorum circiter 25. Huic nescio ex qua occasione ex alveolo dentis molaris sensim tumor enatus est: cum prima vice ipsum confixeram, erat magnitudine Nucis Moſchatae, propria membrano vefitus, rotundus, levis, vasis capillaribus praeditus, minus mobilis quam memoratae matronæ erat, quia crassorem pediculum obtinuerat, subinde do- lores punctioris in illo sensit: praedixi hunc tumorem non nisi sectione & iuf- tione tolli posse; his territus non amplius me convenit. Medicatrix foris ma- le imposuit cataplasma emolliens, similemque collusionem oris suavit, unde brevi tempore tumor cum mala in vastissimam mollem excrevit, amboque in unum corpus



corpus quasi coauerunt : Supervenerant dolores & punctiones summae, videbatur misero quandoque subula ignita perfodi tumorem. Tumore & doloribus indies magis magisque invalescentibus, Rheinovium ad suos abiit; & cum forte illuc pervenisset, meum auxilium denuo imploravit ; cum Chirurgo Monasterii, sene perito, rem clamamatam dixi, sectionem & unctionem impossibilem demonstravi. Cum à cura palliativa non multum levioribus expertus esset, Agyrte se credidit : hic pernegavit tumorem cancrosum esse, non sine convitis pleno ore in nos absentes effusis : pollicitus est maturationem brevi ab Empl. Diachyl. cum gummis intra paucos dies subsecuturam : crescentibus doloribus & tumore, vulnus illi in parte decliviore infixit, nullum pis, sed sanguis serosus effluxit ; ab indito, nescio quo digestivo & emplastro, vulnus in ulcus serpens degeneravit, à quo tota gena ad oculum, aurem & collum depascebatur, quicquid ori ingessit, omne per ulcus, carnem omnem, instar potentissimi cauterii usque ad pharyngem consumens, effluxit, adeo ut nec micam nec guttulam deglutire potuerit, misereque fame post paucos dies enerat fuerit. V. A dentibus in maxilla superiore ab imperita manu evulsis, & fisco osse maxillæ maximo, sensim carnem fungosam parvam primum enatam memini, detento pure in cavernulis hujus ossis : inde sensim depascebatur, simulque partes carnea & nervosa ; tandem corruptela ad oculum & aurem pertigit, & in latere affecto auditum & visum abolevit, comite semper hec crania severissima, unde lenta morte, quamvis gena non perforata fuerit, tandem moriebatur. In quinque his observationibus consideratione digna sunt. I. Epulides has suam scaturiginem, seu nascendi exordium non habuisse à gingivis alterutrius maxillæ, sed à membranis & fibris nervis sanguinem, cavernarum & ductuum, tum ossium maxillarium tum dentium, nam ex alveolis dentium primo pullularunt, & in Nob. Domino radix dentis cariosa visa. II. Constitutionis pravæ postea participes demum factas fuisse gingivas, ossa maxillarum, dentium, glandulas oris, atque alias partes internas malarum, tandem exteriora, scil. musculos, pinguedinem, glandulas, cutim etiam correpta ; ut fieri videmus à cancro occulito, si exulceretur, nam ante exulcerationem diu angustis cancellis coeretur. III. Serum in quolibet valetudinis statu etiam sanissimorum, & in quovis temperamento ex solo hoc affectu tantam corrodendi vim acquirere posse, ut & vicina corrodat, & longius remota tandem etiam inficiat, quod uberior ostendunt illi ipsi occulti cancri, & ichor, seu Meliceria Celsi, qua de re videatur *Gul. Fabr. Hild. pecul. libro.* Non videtur hic recurrentum esse ad scorbutum : nam & Matrona hac, & ambo viri vixerunt in locis ubi non est Endemius, & vel nunquam vel rarius comedebunt pisces, aut carnes & fumo induratas, nec unquam vel rarissime biberunt cerevisiam, sed vino utentes, in regione vini optimi ferace, quo ceu lautoris fortunæ, optimo potiri poterant. Vidi quidem his quoque in oris gingivarum carnem, tenellis, circa XV. mensem ætatis, aut bimulis, & paulo adultioribus, admodum intumuisse, atrorubentem,

Tom. II.

S 8 &



& levi attacitu sanguinem fundentem, & si non mature curabatur, observavi quoque carnem depastam, & dentes denigratos ipsis fuisse, non sine vitæ discrimine: quandoque etiam accedente arthritide quadam vaga, ut protinus ejularent & tremerent, si vel solum ad cunas accederes, non lui tamen scorbutum affectum appellare, quamvis Stomacace similis esset, quia nec aere, nec aquis, nec cibis fruimur similibus illis locis, ubi scorbutus vernaculus est, nisi forte quemlibet morbum à colluvie ferosa provenientem scorbuti nomine insigne velimus, quæ omnino in hac gingivarum intumescentia locum habet: oriri enim videtur ob percolationem lymphæ & sanguinis ex capillamentis arteriarum in vasa lymphatica & venas impeditam; unde remoto obstaculo gingivæ detumescunt, & legitima consistentia potiuntur. Ut in prememoratis vitium intra cavernulas maxillarum fursum pullulavit, sic deorsum ad mentum tetendisse hoc memorabile exemplum testatur: Anno 1680. Joh. Kittel Jesingenis, cauponis filius 20. annorum, Plethoricus, me Stuttgardiae convenit: habuit tumorem, dimidi ovi gallinacei magnitudine, quasi ex scrophulis conglomeratum, sub menti parte dextra, non procul à larynge: Die 12. Mart. hunc tumorem scrophulosum hac methodo excidit *Dn. Christoph. Volterus p. m.* Primo cutim secundum longitudinem, non decussatim, incidit, hinc cutim spatula à scrophula separavit, postea volfella cutim arripuit, illamque nunc cultro, nunc digitis, nunc spatula ad radicem usque separavit, quod cum aliqua difficultate siebat, quia illa pertinaciter scrophulæ adhærebat: postquam ad radicem pervenit, per illam trajecit acum cum duplo filo: illam confrinxit fortiter utrinque, & tumorem excidit, imposuit sanguinem sistentia, & dolorem sedantia: caro excisa plane glandulosa apparuit, nullis insignibus vasis praedita. Post patitos dies ex vulnere germinavit caro luxurians, quam compescere conabatur Arlata sua, quam prædictus D. Völter describit in *schola obstetricum*; verum cum pure fluida facta, cutim kœsit: itaque carnem hanc aliquoties adussum, cum aliquo successu; iustionem post meum abitum aliquoties adhuc suscepit; verum cum post 20. iustiones escharam densam sustulisset, caro denudo renascebatur; recordatus autem est, se sèpius observasse talēm carnem fotam fuisse à dente carioso, & postea inquirens tales dentem, in maxilla inferiore reperit: illum protinus extraxit; unde non solum caro fungosa non amplius renascebatur, sed quoque superfites semet separavit, atque æger intra decem dies penitus, sine ulla labe curabatur, creditique, si dentem maturius extraxisset, quod excisio non necessaria fuisse, quod apud alios observavit, quibus mature dentes tales sustulit, ut scripsit ad me idem *Dn. Christ. Volterus Stuttgardie d. 11. Apr. 1680.* Quam autem diligens hic rariorum in chirurgia observator fuerit, testatur illius schola obstetricum, jam bis Germanice excusa, quod amplius probarent *Centur. 2. obser. chir. quarum M. S. est penes viduam D. Beckeri. p. m. Stuttgardiae.* Utinam esset aliquis, qui illas typis



typis excudendas curaret, non dubito publico plurimum profuturas. Quomodo vero occasione dentis cariosi, vitiatis membranis, & fibris nerveis, intra cavernas maxillæ inferioris, citra cariem ossis & illæso periosteo, sub mento tumor iste scrophulosus & postea caro fungosa enata fuerit, inquisitionem meretur, quam tamen reservo meditationi de fungis in corpore humano excrecentibus: sufficient hæc pro hac vice: quæ ideo prolixius hic allegare non piguit, quod plurimum lucis doctrinæ nostræ affordant, & inde constet incomparabilis solertia viri de Republica Medicæ, si quis alius, immortaliter meritissimi, & adhuc merentis, cui Præceptor & Patrono Optimo publicas hic grates exsolvere maximas debui: eidem bonorum myriades, vires inconcussas, annosque Nestoreos appreco, ut thesaurum pretiosum accuratissimarum suarum observationum, earumque longe plurimarum, quas ante biennium in egregio Musei sui Tablinio insigni cum voluptate perlustravi, publico ipse propinare possit, magno cum Republicæ Medicæ, emolumento. Liceat autem primæ ex illis historiis, quarum nobis copiam fecit viri incomparabilis humanitas, conjecturam nostram hic addere, atque dubitare saltim, annon etiam cæteræ epulides pravæ ex eodem fonte locoque promanent, quamvis enim ex gingivis videantur pullulare, vix tamen citra maxillæ cariem tam pertinax malum videtur posse existere: & vero, hac erosa, facilis est ad ipsam illam nervosam membranam in sinu dentis latentem aut subjectum nervum aditus: ne enim in gingiva sola radicatum existimemus, eadem morbi pertinacia prohibet, facile enim esset, totum cum ipsa gingiva excindere; neque unius ossis vitium esse putaverim, cum neque à fractis ossibus maxillæ, neque à percussione, immo ne quidem à carie, lue venerea inducta, utut plura ossa ipsæque nares hac affici coïsplicantur, simile quid unquam fieri observetur, & plures ab eo immunes perstitisse novi, quorum exempla possem hic congerere, si necessum foret. Abunde vero ex antedictis patet, hocce malum iisdem in casibus neutiquam contemnendum esse, sed maturis præsidiis tempestive ipsi succarendum, quod antea demonstrandum sumfimus; talem fane excrescentiam si levis sit, & putredinis ac malignitatis expers, facile reprimenteribus adstringentibus & siccantibus compelci; si putredo insit gingivis, gravemque spiret fetorem, fortioribus opus esse remediis judicat etiam vir longissima experientia edocetus (quippe fere centenarius senex obiit beatus) *M. Sebizius in Sp. M. Pr. part. 2. f. 4. c. 8.* Ejusmodi porro carnem luxuriantem sœpe observavit *Pareus l. 7. c. 4.* in cartilagineam & osseam substantiam induruisse; itaque quam celerrime fierit poterit, aggredienda curatio, nam adhuc exilis, nec altis firmata radicibus, facilius evellitur: his itaque præmissis, ad eamdem transeo.

S s 2 CAPUT



C A P U T V.

Curationem fistens.

§. I.

HIsce scopis adimplendis, aptam ut nanciscamur præsidiorum materiam, quid ex ordinariis artis medicæ promptuarii in rem nostram facere possit, absque ulteriori mora (siquidem & hoc in affectu principiis est obstandum) nunc dispiciemus. Primum autem curam nostram ad se vocat Parulis: hæc ante omnia recte dijudicanda, & a quovis levigingivæ tumore, qui sponte recedit, nec ad suppurationem tendit discernenda est: ubi autem cognita, præmissis Universalibus, prius repellentibus utendum: quo pertinet *Foreſti* remedium, decoctum cochleariæ, beccabungæ, malicorii & aluminis, quibus infinitos se curasse ait; quantumvis etiam de cochlearia dilcutiens & attenuans quid accedere, si tamen non evaporat, videatur: His nihil juvantibus, emollientibus tentanda. Quia autem non omnia omnibus, nec quævis medicamenta gingivis convenient, præ ceteris hic fucus commendamus, ut emolliens præstans, & quod tam securè admoveri his quam commode potest; Et vero, quanta sit hujus, vilioris licet, rémedii efficacia, ex sola *bijotria Wepferiana cap 3. §. 10.* a nobis recensita potest patere, cui substituit, ejusque locum etiam implere possunt quævis emollientia & discutientia, quibus tumor vel solvatur, vel suppuret. Commendat *Aétius* ptisanæ succum, lini semiinis decoctum, aquam mulsam, sed quæ nimis mollis curatio videtur. Sed nec efficacius emollientibus solidi dia fidendum, sed discutientia nobiliora addenda, salviam, mentham, polium montanum Jenense, quod stringit simul, & similia. Si nihil his proficias, cunctandum non est, verum ad ferrum properandum. A pure enim diutius detento nihil certius exspectandum est, quam ut erofo perioſeo, subjectum os cariosum reddatur, & fistulae ſæpe immedicabiles conſequantur. Hinc nonnulli totam volunt exſcindendam: quod necelsum est, si maligni, & cancroſi ſerpentisque aliquid ſubefle appareat; alias autem aperto ſufficit, *Egineta* docente, qui ſubinde ſcalpello, quo vena ſecatur, ipsam dumtaxat punctam & pure vacuato, conflanuifile vidit. Post ſectionem vino colluendum os, & decocto hordei, florum roſarum, balaustiorum cum melle rosato, addito ſyrupo cochleariæ vel alio antifcorbutico mundandum ulcus, quod ſæpe in ſimplicioribus ſufficit: si vero ſordidum ulcus fiat, vulnerariis, balsamicis, putredini reſiſtentibus agen-

